



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

18

D. ADRIANI STEGERI,  
CONSIL. REG. AVL. SVPREM. CVR. PROVINC. ASSESS.  
CIVITATIS LIPSIENSIS SENATORIS.

DISSERTATIO  
DE  
IVRE NATVRAE  
IVRIS PVBLICI I. R. G.  
PRINCIPIO.

---

BIBLIOTECA NAZ.  
ROMA  
LITTERIO EMANUELE.

AD  
VIRVM CONSVLTISSIMVM  
DOMINVM  
ABRAHAMVM GOTTLLOB  
WINCKLERVM  
LIPSIENSEM  
S V M M O S  
IN VTROQVE IVRE HONORES  
EX MERITO CAPESENTEM.

---

LIPSIAE D. XXXI. IAN. MDCCXLVII.

---

LITTERIS IO. CHRIST. LANGENHEMI.



# VIR CONSVLTISSIME

AMICORVM OPTIME,

**H**lluxit tandem laetus ille dies, mihi-  
que candidissimo notandus calculo,  
quo *TIBI*, amicissime *WINCK-*  
*LERE*, praemia, diu debita, at-  
que ex voto nunc collata, gratulari  
possumus. *Quae* quidem quin iure optimo  
maximo *TIBI* decernantur, dubitare non  
sinunt egregia plane, atque omni solidiori  
doctrina refertissima eruditionis specimina,

) ( 2

*quae*

quae in alma, olim Goettingensi, inde et patria, semel iterumque edidisti. Abunde haec *TVM* testantur scientiam, atque expectationi, quam de *TE* conceperamus omnes, plenissime satisfaciunt. Neque enim ea vulgaris esse potuit, ex quo compertum habuimus, tum summam, quam in *TE* erudiendo adbibuit curam, *VIR* omni nostro elogio superior, *Georgiae Augystae ornamentum, Illustris AYREVS, Vitricus TVVS,* affectu plus quam paterno in *TE FRATRESque vſus,* tum improbam, qua vestigia *EIVS* pressim sequutus es, solertiam. *TVO* igitur nunc quoque merito, et summa omnium conſpiratione, capere potes supremos in iure, quod tanto Duce, diligentia tanta, tantoque cum fructu coluisti, bonores. Mihi vero nihil laetabilius, nihil optatius accidere potuifset. Video iustis *TE* ornatum virtutis atque industriae praemiis, video *PARENTES OPTIMOS* de lautissimo educationis successu sibi congratulantes, *FRATRES* atque amicos de nouo,  
quo

quo familiam *WINCKLERIANAM*,  
ob immortalia in patriam nostram merita  
tam excelso et illustri loco positam, ut glo-  
riae et nobilitatis suae radios longe lateque  
dispergat, auges, splendore laetabundos vi-  
deo. Neque eripere mibi patiar commo-  
dam adeo, diuque exoptatam occasionem, pu-  
blicum, tum obseruantiae meae erga honora-  
tissimos *PARENTES TVOS*, tum  
amoris quo *TE*, Consultissimumque *FRA-  
TREM TVVM*, amplector, atque ami-  
citiae nostrae, specimen edendi. Grata ad-  
buc memorique mente colo recoloque singu-  
larem, qua *MATER TVA*, Matrona  
omnium virtutum laudibus praeclara et illu-  
stris, Lipsiae degens, me dignata est, fauor-  
rem, atque eximiam Magnifici *AYREI*  
in me benevolentiam. Vtrique igitur hoc  
nomine grates iam persoluo publicas, de Filio  
*ILLI*, *HVIC* de Alumno et Discipulo  
tam digno, tamque egregio, ex animo gra-  
tulatus. Omnis nunc vident spei suae et  
votorum omnium quasi complementum, dum

*TE quoque iisdem, quibus Consultissimus  
FRATER TVVS, ob summam in-  
causis in foro agendis dexteritatem, in scien-  
tiis aliis tradendis et docendis fidem et eru-  
ditionem, atque singularem morum suavitatem.  
se omnibus apud nos commendans, iam  
corruscat, honoribus illustratum vident.  
Neque adeo, quod iis optem, habeo, nisi, vt  
diu adbuc insigni hac felicitate, nulla unquam  
vicissitudine interrumpenda, frui eos, SVM-  
MVM NVMEN iubeat. Quodsi de-  
mum, dulcissimam illam consuetudinem atque  
amicitiam integerrimam, quae mihi TE-  
CVM, et cum FRATRE TVO aman-  
tissimo, intercedit, considero, non possum  
non maximo cumulari gaudio, de felicissimo  
hoc conatum TVORVM laudabilem  
euentu. Gratulor ergo et TIBI, AMI-  
CE SVAVISSIME, de nouo digni-  
tatis augmento, vt fortunam et in posterum  
fauentem experiaris et propitiam, vtque  
omnia prosperrime TIBI atque ad omne votum  
.succedant, precatus. Non equidem igno-  
ro,*

*ro, qui me praestolantur discessus TVI atque absentiae, dolores, at, certus tamen de constanti TVO erga me affectu, ex nouis, quae TE expectant, prosperitatis TVAE accessionibus, ex FRATRIS amantissimi, Amici mei integerrimi, consortione, in primis vero, ex firmissima persuasione amicitiae TVAE, nulla temporis iniuria obstante, nulla locorum impediente distantia, perennaturae, solatium quaeram et lenimentum. Memor sis quaeſo noſtrae coniunctio-*  
*niſ, qua neque dulcius, neque optabilius mihi aliquid fuit, AMICE DESIDE-*  
*RATISSIME, nec vñquam obliuiscere*  
*eos, quos Lipsiae dignos concordi TVA*  
*amicitiā existimasti. Accipe a nobis piissima*  
*vota eadem voluntate, qua noſtri amoris fi-*  
*gna nunquam spreuiſti, et recordare doloris,*  
*quo itinere TVO maturato afficimur. Ni-*  
*bil mibi erit vñquam prius, antiquius ni-*  
*bil, quam ne possis meam vñquam in TE fi-*  
*dem et obſeruantiam iure quodam desidera-*  
*re. Ego certe absentem tanquam praesen-*  
*tem*

*tem TE, VIR CONSVL TISSIME,  
semper colam et amabo, et cum summa animi  
iucunditate recordabor illius temporis, quo  
Lipsiae nobiscum fuisti versatus. Id sal-  
tem opto, quam quod maxime, vt et GENS  
TV A ILL VSTR IS, tot tantisque  
decoribus ornata, me sibi commendatissimum  
babere velit, vtque apud nos commorantes  
ambo FRATRES TVI AES TV-  
MATISSIMI, Academiae alter, alter  
emporii, patriae vterque, ornamentum egre-  
gium, eodem, quem tanta cum voluptate in  
TE expertus sum, fatore me non indi-  
gnum iudicent, id quod nullo non officiorum  
genere gratus compensare enitar. Ita vale,  
AMICE AMANTISSIME, deque  
mea fide certus, amore me, totum TVVM,  
complecti perge.*

DE



DE  
IVRÈ NATVRAE  
IVRIS PUBLICI I. R. G.  
PRINCIPIO.

---

§. I.

INSTITVTI RATIO.



Frustraneus videri posset, quem iam suscipimus, labor, dum Iuri Naturae inter principia Iuris Publici I. R. G. locum adsignare, conamur. Neque enim defuturos credimus, quibus adeo clara haec sententia videatur, certaque, ut, qui de ea dubitare queat, inueniri posse neminem, sibi persuadeant, absurdum plane rati, ius, quod ab ipsa, quam summum hominibus dedit numen, natura pendet, ex nobilissima omnis humani iuris parte proscribere velle. Non defuerunt quidem iam olim, forte nec hodie defunt, qui ius, quod naturae vocant, ad negotia et controuerfias iuris publici

A

publici

## II

publici pertinere, constanter negant: <sup>a)</sup> at hi fere erunt illi, qui ius nobis naturae obtrudere volunt, hominibus cum brutis, <sup>b)</sup> quin imo, si dicendum, quod res est, cum rebus creatis omnibus, quae coelo, quae terra marique continentur, commune. Ius enim naturae illis est, quod *IUSTINIANVS Imperator, C) VLPIANVM* sequutus, <sup>d)</sup> definit, *ius, quod natura omnia animalia docuit.* Quodsi vero illum admittere velimus huius definitionis sensum, quem vulgo ei tribuunt, ut nimirum ipsam illa denotet naturam, seu, quod alii dicunt, legem naturae; <sup>e)</sup> non adeo absconum foret, defendere, hoc ius hominibus, non cum brutis tantum, sed cum omnibus quoque aliis rebus, quas sapientissimus mundi conditor verbo suo produxit, commune esse, quae omnes sane viribus, a natura, siue potius eius summo auctore, ipsis concessis, more suo, ac pro ratione diuersitatis, quam inter eas is stabiliuit, ad eum vtuntur finem, quem natura illis constituit, ad conseruationem, puta, sui, generis propagationem, quin imo et ad propellenda ea, quae essentiam earundem destruere queant. <sup>f)</sup> Quemadmodum vero ipsam de iure naturae, hominibus cum brutis communi, opinionem solidis argumentis iam alii infirmarunt, <sup>g)</sup> ita quoque non defuerunt, qui conclusionem, inde petitam, de nullo iuris naturae in iure publico vsu, refutare conati sunt. <sup>h)</sup> Neque tamen illorum, qui nobiscum facere videntur, omnes easdem iuri naturae, intuitu iuris publici I. R. G. partes, tribuere; deprehendimus. Nonnulli enim adminiculis saltim et subsidiis iuris publici illud adnumerant: <sup>i)</sup> et, qui vel maxime id inter principia referunt, minus tamen curate, quibusnam iuris naturae speciebus, hunc habeant honorem, exponunt, aut, qua deinceps ratione eiusdem usus se exferat, definunt, <sup>k)</sup> minimum ea nondum huic iuri, quantum equidem sciuerim, contigit felicitas, ut eandem, quam iuri Romano, eiusue in iure S. R. I. publico usui demonstrando, Viri eruditii adhibuerunt, <sup>l)</sup> experta

perita sit industriam.<sup>m)</sup> Hinc, operaे omnino nos pretium facturos, confidimus, dum hac, quicquid est, scriptione in id incumbimus, vt non suum saltem iuri naturae, inter juris publici I. R. G. principia, locum vindicemus, sed vt ostendamus etiam, tum, quid, quantumue, ex omni iuris naturae ambitu, ad negotia Imperii nostri Germanici pertineat, tum, qua potissimum ratione se exserat illius, in iure nostro publico, vñsus.

- a) Quos inter est **GODOFR. FERD. BVCKISCH**, in discursu iuridico-politico, *de fontibus iuris publici*, §. X. Plures recenset **LIMNAEVUS**, *iur. publ.* L. I. c. I. n. 17. 18.
- b) Vid. **HENR. BODINVS**, *de iure mundi* §. 3. et quos citat **I. GE. KVLPIS**. Ex. I. Colleg. Grot. L. I. c. I. §. 8. lit. z. **VLR. HVBERVS** in digress. P. I. L. I. c. II.
- c) Pr. I. de I. N. G. et C.
- d) L. I. §. 3. D. de I. et I.
- e) Conf. I. **GOTTL. HEINECCIVS** in elem. iur. ciu. sec. ord. Inst. §. XXXVI.
- f) Confer, quae ex **THOMA I**, 2. quaest. 94. art. 2. adducit **IO. GEO. SIMON**, *ad GROTIUM de I. B. et P. L. I. c. I. p. II.* Aliū tamen fundamentum huius definitionis in eo quaerunt potius, dum veterum philosophorum haud pauci, bruta ratione non penitus carere, crediderunt, vide **ERIC. MAVRICIVM** in diss. *de principiis iuris publici Germanici*. Cap. IV. Sect. I. §. 4. seqq. in opuscul. p. 50. seqq. et **PVFFENDORFIVM** mox citandum, quorum et nos opinioni subscribere nulli dubitamus. conf. etiam **IAC. RAEVARDVS Variorum** L. I. C. I. in Opp. p. 483. seqq.
- g) Ex quibus nominasse sufficiat **SAM. PVFFENDORFIVM de I. N. et G. L. II. c. III. §. 2. 3. T. I. pag. 175. seqq.** (edit. **GOTTFR. MA-SCOVII** Lips. 1744. 4.) et **IO. SELDENVM de I. N. et G. L. I. c. V.** pag. 60. (ed. W. 1712. 4.)
- h) Vid. **ERIC. MAVRICIVS** all. diss. c. III. §. 3. f. pag. 26. seqq.
- i) Vid. **PHIL. REINH. VITRIARIVS** *de adminiculis iur. publ.* R. G. Sect. II. c. 2. p. 13. f. et **HENR. GOTTL. FRANCKE**, in *praef.* huic commentationi praemissa pag. 23. f. (Lips. 1740. 4.) quo etiam collineat **IAC. CAR. SPENER. iur. publ.** L. I. c. XII. §. I. p. 359. seqq.
- k) Quibus ipsum **MAVRICIVM** adnumerare nulli dubitamus, siquidem is, praemissis C. I. cit. diss. variis vocabuli iuris significatis, iurisque publici definitionibus, et *Cap. II.* accuratiore proposita, atque enumeratis variis variarum gentium iuribus publicis, horumque scriptoribus, *Cap. III.* ius naturae generatum tantum, inter principia iuris publici-

## IV

publici Germanici refert, inde ad euoluendas omnis aei, populorumque omnium et philosophorum, de iure naturae sententia, conuersus.

- l) Exempli loco esse potest, **GEO. ENGELBRECHT**, in diss. *de usu iuris Rom. in iure publ. R. G. bususque variis controvcrsis decidendis*, Helmst. 1692. Contrarium sentientes recenset **FRANCKE** in *all. praeſ. pag. 27. seqq.* Quibus non iniuria addi potest **IO. WERLHOFII** diss. *de usu iuris Romani, aliorumque priuatarum iurium in decidendis controvcrsiis liberarum gentium*, eodem, quo illa **ENGELBRECHTI**, anno Helmstadii publice proposita.
- m) **HERTIVS** enim in *iurisprudentia vniuersali*, et **III. BOEHMERVS**, in *introductione in ius publicum vniuersale*, de adornanda potius, atque ex veris propriisque principiis deducenda, nobilissima hanc iuris naturae parte, quam de huius in publico **I. R. G.** iure usu, solliciti fuerunt, quamuis hinc inde asserta sua, iis quoque, quae in ipsis rerum argumentis obtinunt, egregie illustrarint. Huc quoque pertinet **GODFR. ERN. FRITSCH.** *ius publicum vniuersale et pragmaticum* etc I. 1734. 8. **CHRIST.** vero **WILDVOGEL**, in diss. *de usu iuris naturalis in actionibus principum Ien. 1714.* id tantum egit, vt ostendat: *Principes regentes in potissimum actibus, qui ad ipsius pertinent, iuris naturalis praefidio egregie iuuari*, vt ipſe loquitur, C. I. §. 5. in fin. pag. 8.

### §. II.

IVS PVBLICVM QVID?

DEFINITIO IVRIS PVBLICI I. R. G.

Ordine vt procedat tractatio nostra, in id in primis elaborandum nobis erit, vt, quid per Ius Publicum I. R. G. intellectum velimus, satis appareat. Iuris vocabulum varios admittere significatus, tralatitium est, neque iis enumerandis immorabimur.<sup>a)</sup> Vnicum saltem ex illis, eumque praecipuum, hic paullo curatius considerasse iuuabit, quo veram iuris publici atque adaequatam praesenti libello definitionem proponere valeamus. Is autem ille est, quo pro lege hanc vocem usurpamus. Quod dupli ratione fieri solet; Aut enim de peculiaribus saltem nobis sermo est legibus, vbi de iure differimus, atque ius erit norma, actiones hominum dirigens; <sup>b)</sup> aut generaliori sensu hoc elogio innuimus, complexum plurium legum, quas vel idem legislator, <sup>c)</sup> circa diuersa obiecta proposuit, vel circa idem obiectum diuersi

versi legislatores promulgarunt. Posteriori in casu ius totum aliquod est integrale, vt vocant, partibus constans, quas vbi iura dicimus, priorem huic vocabulo, illumque strictiorem, tribuimus significatum. In generaliori tamen sensu ICti hoc vocabulo frequentissime vtuntur, maxime vbi de diversis iurium speciebus agunt. Ex diuisionibus, quae vtrique horum communes sunt, ea potissimum ad praesens institutum pertinet, cuius fundamentum in obiecto legis situm est. Quod vti aliud non est, quam ipsae hominum actiones, hae autem multifariam considerari queunt, pro diuerso agentium statu, <sup>d)</sup> fieri sane nequit, quin varie quoque eorum intuitu ius ipsum diuidatur. Neque tamen a vero multum aberrare veremur, vbi defendimus, inter omnes, quae circa hominem locum inuenire queant, respectus, principem tenere illum, quo eum vel in relatione ad societatem ciuilem, cuius membrum est, nobis repraesentamus, vel inter aequales versantem, et priuatae rei commodis inferuentem intuemur. Priuatum hoc, <sup>e)</sup> publicum <sup>f)</sup> illo, ius oritur casu. Ad definitionem enim iuris publici non sufficit, vt homines, tanquam membra societatis cuiusdam ciuilis, consideremus, quo facto idea saltem oritur iuris particularis, societati proprii; sed opus est potius, vt ad ipsam societatem eos referamus. Hoc enim respectu vel imperantes vel parentes eos esse, deprehendimus, nexuque, quo sibi inuicem coniunguntur, perspecto, vtrorumque iura atque officia iam obscura esse nequeunt <sup>g)</sup> Quae vbi contuleris, haud difficilis erit iuris publici, de quo hic vnicce solliciti sumus, definitio. Quodsi enim strictiore vtraris iuris vocabuli sensu, norma erit ius publicum, dirigens actiones hominum, quatenus in relatione ad statum ciuilem, cuius membra sunt, considerantur. Atque hic quidem commodius legis publicae elogio efferi poterit, vt a sequente iuris publici notione, eo facilius discerni queat. In latiori enim significatu complexum denotabit ius publicum plurimum, quae modo

## VI

modo definiuimus, legum.<sup>b)</sup> Neque enim hic, vbi ad obiectum saltem respicimus, legislatoris ratio habenda est, siue vnum omnes hae leges auctorem agnoscant, siue a pluribus eae latae sint. Generalis autem haec est definitio, ad omnia iura, quae societates ciuiles, siue res publicas, respiciunt, applicanda. Hinc, si leges illae publicae ita comparatae, ut in omnibus, quaecunque demum eae sint, societatibus ciuilibus locum inuenire possint, ius publicum eae constituunt vniuersale; <sup>i)</sup> particulare autem inde enascetur ius publicum, vbi ad certas tantum res publicas pertinent. <sup>k)</sup> Quid ergo obstatre poterit, quo minus Ius quoque publicum I. R. G. ita definiamus, vt sit complexus legum publicarum, quae dirigant actiones hominum, quatenus in relatione ad Imperium R. G., cuius membra sunt, considerantur. Quae quidem definitio hic nobis omnino sufficere potest. Quamuis enim plures dentur vocabuli iuris significatus, qui locum hic quoque inuenire possent, duo in primis illi: alter, quo pro facultate ius dicitur, siue effectu legis, <sup>l)</sup> alter, quando ipsam denotat iurisprudentiam: <sup>m)</sup> vnde etiam Ill. BOEHMERVS <sup>n)</sup> ius publicum vniuersale, non systematice tantum, sed et habitualiter, consideratum, definit: Vtique tamen sensu ius naturae principii locum tuebitur, quem eidem intuitu iuris publici I. R. G., qua complexum legum publicarum denotat, nos vindicatores confidimus.

- a) Larga eos manu dabunt alii, in primis, qui ad Tit. I. et D. de I. et I. commentati sunt; Nobis allegasse sufficiat, qui ad manus est, MAVRICIUM cit. diff. Cap. I.
- b) Verbum dirigere, quo vtimur, omnino obligationem, legibus praestandum, involvit, quae sine superiore esse non potest. vid. PVFFENDORF. de I. N. et G. L. I. c. 6. § 5. f. pag. 90. seqq. et SELDENVS de I. N. et G. L. I. c. 7. p. 83. seqq. quamvis contrarium statuere videatur GROTIUS, de I. B. et P. in Proleg. n. 11. p. 10. (ed. SIMON. 1680. 4.) vnde quoque in definitione legis all. I. L. I. c. I. §. 9. p. 6. superioris mentionem omisit. vid. tamen 10. WERLHOF. diff. de genuinis fontibus recte decidendi controversi. publ. et illustr. Helmst. 1688. §. XII. p. 13. f. Neque dubitamus, quin haec definitio nostra, ad leges

- leges quoque, quas permissuas dicunt, optime quadret; De quibus, et lite, earum intuitu inter scriptores iuris naturae pendente, conf. Conf. D. A. F. MULLERVM im Natur - vnd Völcker - Rechte Cap. III. §. I. in not. pag. 86. seq.
- c) Quo etiam referendum putamus, quando v. g. Ius humanum, Ius Saxonum etc. dicimus. Quamvis enim plures earum legum sint autores, pro uno tamen omnes omnino habendi sunt, ratione potestatis legislatoria, quam omnes eodem iure, eodem respectu, eademque ratione habent atque exercent.
- d) De quo conf. HEINECCIVS ad Instit. § LXXVI. PUFFENDORF. L. I. c. I. §. 6. f. p. 7. f. Hinc quoque laudatus modo Consult. MULLERVS loc. cit. c. VI. §. 5. p. 179. f. omnia hominum iura atque officia ex diuerso eorum statu deriuanda esse, docet.
- e) De vera iuris publici et priuati differentia vid. GOTTL. GERH. TITIVS Specim. Iur. publ. I. R. G. L. I. C. I. §. 42. seqq. pag. 18. seqq. (L. 1705. 8.)
- f) Alio plane sensu ius publicum quoque dicitur in LL. Romanis, de quo vid. RAEWARD. Varior. L. V. c. 12. p. 732. seqq.
- g) Vid. quae de societate et nexu civili disputat III. BOEHMERVS iur. publ. vniuersit. P. Spec. L. I. c. II. p. 154. seqq. et conf. SPENER. iur. publ. L. I. c. I. §. 5. p. 9. f.
- h) Plures iuris publici definitiones examinat MAVRICIVS all. diff. Cap. I. §. 8. seqq. p. 8. seqq. quam tamen ipse laudat ibid. Cap. II. §. I. p. 12. quamque VITRIARIVS etiam L. I. Tit. I. §. 7. p. 28. calculo suo probat, politicae quoque, quae sane itidem directo ac principaliter ad Constitutionem et Conservationem rei publicae pertinet, conuenire videtur, adeoque, tanquam definito latior, merito reprobanda. conf. FR. CHR. BAVMEISTERI Institut. philos. rational. §. 150. seqq.
- i) HERTII et BOEHMERI labores iam laudauiimus, pertinet huc queque VLR. HVBERVS, cuius de iure Civitatis liber cum not. CHRIST. THOMASII prod. Lipsi. 1708. 4.
- k) De iuribus publicis particularibus agit MAVRICIVS cit. diff. Cap. II. §. 2. seqq. pag. 13. seqq. et VITRIARIVS in Proem. inst. iur. publ. ibique PFEFFINGER.
- l) Conf. VVLTIEIVS ad §. 3. I. de I. et I. n. 2. GROTIUS de I. B. et P. L. I. c. I. §. 4 p. 3.
- m) Ut in illa VLPIANI definitione L. I. pr. D. de I. et I.
- n) Iur. publ. vniuersit. P. gen. c. 3. §. 1. et 2. p. 70. seqq. Conf. quoad ius publicum I. R. G. SCHWEDER. introd. in ius publ. I. R. G. P. gen. c. I. §. I. p. 1. f. 10. FR. RHETIVS, inst. iur. publ. L. I. tit. I. §. 2. seqq. pag. 3. seqq. TITIVS L. I. c. I. §. 6. seqq. pag. 4. f. §. 22. p. 10. et §. 26. p. 12.

## VIII

### §. III.

#### PRINCIPII DEFINITIO. DIFFERENTIA A SVBSIDIIS.

#### PRINCPIA PROPRIA ET COMMVNIA.

Proxiimum est, vt de principio iuris publici I. R. G. diciamus. Est autem principii vocabulum itidem πολυτυμον, diuersissimos admittens significatus, pro diuersitate obiecti, circa quod versamur. In eo tamen omnes conueniunt, vt per principia id intelligamus, quod primum est et simplicissimum, atque ex quo reliqua omnia ortum trahunt et deriuantur. Nobis iam satis erit indicasse, principii nomine, quatenus illud ad ius, in sensu superius allegato usurpatum, applicatur, prima venire fundamenta, et quasi fontes, <sup>a)</sup> ex quibus ius emanat et deriuatur. <sup>b)</sup> Ut igitur inter principia iuris aliquius referri quid possit, ita comparatum sit, necesse est, vt ex eo ius, de quo quaeritur, cognosci queat et diiudicari. Quem usum vbi pluribus praestare id potest iurium speciebus, communis principii honorem merebitur, quod si vni tantum, huic erit proprium. Quaecunque e contrario huic fini proxime non inseruiunt, faciunt tamen ad faciliorem vel pleniorum iuris cuiusdam intellectum, aut applicationem eius et praxin iuuare possunt et promouere, ea omnia in subsidiorum atque administrorum numero locum inuenient. His itaque praemissis, nunc non erit difficile, de veris iuris publici I. R. G. principiis sententiam ferre. Neque enim ad ea referri poterunt, nisi eae tantum leges, ex quibus Ius publicum I. R. G. dignosci potest, et diiudicari. Quarum quidem aliae Imperio R. G. eiusque statui ita accommodatae deprehenduntur, vt, ex ipsa eius constitutione et forma enatae, aliis societatibus ciuilibus applicari nequeant, aliae vero in aliis quoque rebus publicis usum praestare possunt. Illae igitur ad principia iuris publici I. R. G. propria, quae alias legum fundamentalium nomine ornare solemus, <sup>c)</sup> pertinebunt, hae communia eiusdem principia consti-

constituent. <sup>d)</sup> Neque subsidiis nostrum ius publicum caret atque adminiculis, de quibus tamen pluribus differere, ab instituto nimis foret alienum. <sup>e)</sup>

- a) Sunt qui eiusmodi terminos impropios et metaphoricos ferre nequeunt, iisdem obscuritatem quandam inesse, rati. conf. B A V M E I-STER. *inst. philos. rational.* §. 169. s. quibus tamen respondere conatur G V N D L I N G. peculiariter dissertatione in *Gundlingianis*.
- b) Conf. M A V R I C I V S, *all. diff.* c. III. §. 1. p. 25. add. P F E F F I N G E R *ad V I T R I A R I V M* L. I. tit. 2. pr. not. a. pag. 29.
- c) De quibus vid. Illustr. M A S C O V I V S, *princ. iur. publ.* L. I. Cap. I. seqq. S P E N E R *iur. publ.* L. I. c. I. §. 6. p. 11. f. et cap. IV. p. 72. seqq. T I T I V S, *iur. publ.* L. II. c. I. B V R C. G O T T H. S T R V V. *Syn. iur. publ.* c. VI. §. 1. seqq. p. 120. seqq.
- d) Alia propterea ratione principia iuris publici diuidit V I T R I A R I V S L. I. tit. 2. ubi tamen principia atque adminicula aperte confundit.
- e) De subsidiis iuris publici agit Illustr. M A S C O V I V S L. I. cap. 8. S P E N E R. L. I. c. 12. pag. 359. S T R V V. c. I. §. 18. seqq. p. 9. et V I T R I A R I V S ad §. 1. not. i. excitatus.

#### §. IV.

##### I U S N A T U R A E Q Y I D, E T Q Y O T V P L E X?

Et hactenus quidem de Iure publico I. R. G. eiusque principiis. Propius nunc accedimus ad scopum finemque dissertationis nostrae, demonstraturi, iuri quoque Naturae inter principia Iuris publici I. R. G. locum esse assignandum. Quod sane fieri vix poterit, nisi de ipso iure naturae nonnulla praemiserimus, quibus viam nobis queamus parare ad ea, quae in sequentibus propugnanda erunt. Ut igitur, quid ius naturae sit, quibusque constet partibus, appareat, nouam iuris diuisionem ut in medium proferamus, necesse est. Ius scilicet, quoniam norma est, dirigens actiones hominum, necessario superiorem praesupponit, cuius sit, eiusmodi normam praescribere. <sup>f)</sup> A legum ferendarum potestate legislator is dicitur, estque vel Deus, vel homo; unde ius quoque in diuinum et humanum diuiditur. In utroque, siquidem actiones hominum dirigere debet, medium quoddam requiritur, quo

## X

interueniente illis possit innoscere. <sup>b)</sup> At neque ius diuinum eiusmodi medio destituitur. De promulgatione quidem ratio hominis sibi relicta certi quid definire non valet, quamvis necessitatem reuelationis multis argumentis cognoscatur, <sup>c)</sup> eamque a diuina clementia expectet, <sup>d)</sup> quin imo et criteria verae reuelationis diuinae suppeditet. <sup>e)</sup> Quoniam tamen ipsa haec ratio ea praedita est facultate, vt, non ideas modo de rebus obuenientibus sibi formare, verum et illas inter se conferre, nexusque earum perspicere queat; <sup>f)</sup> sufficere quoque ea visa fuit, ex qua iuris diuini notitia ad homines peruenire possit. <sup>g)</sup> Quodsi enim legum diuinorum naturam atque indeolem paullo curatius intueamur, eas vnicce utilitatem et felicitatem hominum intendere deprehendimus. <sup>h)</sup> Quam qui cognoscere velit, ad finem suum felicius peruenire non poterit, nisi perspecta hominis natura. <sup>i)</sup> Atqui vero, id obtineri posse vsu rationis legitimo, nemo negabit. <sup>k)</sup> Hinc est, quod leges Diuinae, quae ratione hominis cognoscuntur, iuris naturae nomine veniant, idque complexus erit legum diuinorum, actiones hominum, qua talium, dirigentium. Neque tamen vnius eae omnes sunt generis. Quod enim supra <sup>l)</sup> monuimus, diuersitatem statuum, in quibus homines viuunt, varias quoque iurum producere species, id de iure naturae etiam omnino verum esse, facile appetet. Missis reliquis, <sup>m)</sup> vnicam saltem hic repetere mens est, cuius supra <sup>n)</sup> iam fundamentum exposuimus, diuisionem, qua in publicum et priuatum dispescitur, eandem etiam iuri naturae applicandam esse, strenue conteridentes. Ius namque naturae non priuatas modo actiones hominum dirigit, sed iura quoque atque officia in societate ciuili viuentium definit. <sup>o)</sup> At enim vero latius adhuc patet iuris naturae usus atque auctoritas. Ex ipsa natura hominis oriundum, omnes omnino homines obligat. Ex quo itaque in varias hi coierunt societas ciui-les, effectus illius non in singulos modo homines, verum in integras

integras quoque societas ciuiles, quae gentium alias nomine venire solent, protenditur.<sup>a)</sup> Hinc, praeter ius naturae, quod singulorum hominum actiones dirigit, atque in specie tale dici potest, in publicum et priuatum diuidundam, occurrit quoque Ius Gentium, siue complexus legum naturalium, quae actiones integrarum gentium ordinant.<sup>b)</sup> Quod tamen a iure naturae, quoad principia, alienum esse, constanter negamus, siquidem in eo tantum occupatur, ut leges iuris naturae ad statum integrarum Gentium accommodet, iura atque officia earum inter se definiens; quamuis quoad conclusiones differentias nonnullas intercedere posse, non abnuerimus.<sup>c)</sup> Differt tamen quam maxime a iure, quod per pacta et mores, seu consuetudines gentium introductum est, et Ius Gentium arbitrarium dici potest.<sup>d)</sup> Quae quidem, de iuris diuini illa specie, quae ius naturae dicitur; differuisse, sufficere potest. De altera, quam iuris positui elogio ornant, tractare merito supercedemus. Quamuis enim illud negare neutiquam possumus, postquam id reuelationis ope nobis innotuit: Valde tamen adhuc dubitamus, quin vllum vnquam verae legis diuinae posituae vniuersalis exemplum in medium proferri queat.<sup>e)</sup> Particulares autem, Iudeis saltem latas, in nostris rebus publicis auctoritate carere, satis expeditum est.<sup>f)</sup>

- a) Vid. not. b. ad §. II.
- b) De promulgatione legum conf. I. H. N. D. de BERGER *oecon. iur.* L. I. tit. I. §. 17. n. 3. 4. 11. quam intuitu consuetudinis s. iuris non scripti supplet frequentis actuum et temporis diuturnitas. conf. IDEM all. loc. §. 19. pag. 13. seqq.
- c) Vid. MULLER, *metaphys.* c. I. §. 10. p. 22. seq. et passim.
- d) Conf. IDEM, *Ethic.* c. III §. 20. in not. p. 604.
- e) Conf. C. C. RESTELS, *Vernunftmaßsiger Beweis des Alterthums der Schriften A. und N. Testam.* L. 1733. 8.
- f) Vid. MULLER, *logic.* c. II. §. 12. p. 87. BAVMEISTER. *inst. philos. rational.* cap. prael. I. §. 13. p. 8.
- g) Vid. PUFFENDORF. *I. N. et G. L.* II. c. III. §. 13. p. 199.
- h) Conf. MULLER, *Ethic.* c. I. p. 472. et *Iur. Nat.* c. I. §. 6. p. 18. seqq. neque obstant, quae PUFFENDORF. all. I. §. 10. seqq.

- p. 190. disputat, siquidem in eo tantum versatur, ut offendat, singulorum utilitatem non posse verum iuris naturae principium constitutere. Quod posterius defendit Illustr. RECHENBERGIVS *Instit. iurisprud. natur.* L. I. Tit. 6. §. 5. et in diss. *Principium cognoscendi iusti et aequi, verum, evidens, adaequatam, ex utilitate.* Lips. 1746.
- i) Vid. MULLER, *metaphys.* c. XII. §. 17. p. 326. seqq. et *iur. nat.* c. III. §. 8. 9. 10. p. 102. seqq. PVFFENDORF, L. II. c. III. §. 14. p. 200. seqq.
  - k) Conf. omnino PVFFENDORF. *loc. cit.* §. 13. p. 196. seqq.
  - l) §. II. not. d.
  - m) Sic v. g. ius naturae diuidi potest in seculare et Ecclesiasticum, conf. de posteriori GE. GODFR. KEVFELII, *elcm. iurisprud. eccles. vniuersal.* (Rost. 1728. 8.) in allodiale et feudale, quod posterius illustravit REGNER. ENGELEHARD, *in specim. iur. feudor. naturalis,* (Lips. 1742. 4.)
  - n) §. II.
  - o) Vid. III. BOEHMER, *iur. publ. vniuersal.* P. gen. cap. II. §. 14. f. p. 58. seqq.
  - p) Hinc HOBSES. *de cive* c. XIV. §. 4. naturalem legem diuidit, *in naturalem hominum, et naturalem ciuitatum.*
  - q) Plures iuris Gentium significatus assert I. LAVR. FLEISCHER. *instit. I. N. et G. L. I. c. V.* §. 121. p. 163. f.
  - r) Conf. PVFFENDORF, L. II. c. III. §. 23. p. 220. f. MULLER *Iur. Natur.* c. XXI. p. 741. seqq. Alio plane sensu ius gentium in legibus Rom. usurpatur, de quo vid. 10. A FELDEN *ad Grot.* L. II. c. II. §. 18. et 19. p. m. 133. f. et c. VIII. §. I. p. 215. f. IAC. RAEVARD. *ad LL. XII. tabb. cap. III.* in opp. p. 14. et Varior. L. I. c. I. p. 483. seqq.
  - s) Quamuis hoc negare videatur PVFFENDORF. L. II. c. III. §. 7. p. 184. seqq. et §. 23. p. 220. f. loquitur tamen de vniuersali omnes gentes obligandi potestate, quam huic iuri tribuere, merito ambigit. conf. CHR. GOTTL. SCHWARTZII *Sylloge problematum Iuris naturae et Gentium, Problem. IV.* p. 14. seqq. (Ald. 1738.) qui etiam p. 16. in fin. GROTIUM et reliquos, nobiscum sentientes, allegat.
  - t) Conf. IAC. FRID. LUDOVICI *delineat. hist. iur. natural. et posit. vniuersal.* §. 108. seqq. pag. 172. atque autores ibi citatos, quamvis is ipse a nobis dissentiat.
  - u) Vid. tamen de vsu, quem adhuc in iure Gentium praestare possunt, GROTIUS. L. I. c. I. §. 17. p. 17. quo etiam pertinet, THROD. REINKING, *bibliche Policey,* et V. L. A. SECKENDORF *Christen-Staat.*

## §. V.

IUS NATVRAE PRINCIPIVM IVRIS I. R. G. PVBLIC  
CONSTITVERE, DEFENDITVR.

Iam videamus, quantum auctoritatis tribuendum sit iuri naturae in iure publico I. R. G. Maximum huic illud vsum praefare, vix negabit vllus, qui saniora in iure publico sequi principia amat. Omnes in eo conueniunt, non modo doctrinam iuris publici egregie iuuari solida iuris naturae cognitione, prudentique eius vfu, verum saepius ad hoc etiam recurrendum esse, in ipsis iuris publici controuersiis decidendis. In eo tamen non conspirant, dum alii ius naturae inter principia iuris publici I. R. G., non propria quidem, sed communia,<sup>a)</sup> referunt, <sup>b)</sup> aliis illud subsidii saltem huius atque admiculis adnumerantibus. <sup>c)</sup> Priorum in partes pedibus nos ire, iam supra<sup>d)</sup> professi sumus. Quod quin iure optimo factum sit, nulli dubitamus, quia, quam de principiis iuris publici definitionem dedimus, <sup>e)</sup> optime quoque ad ius naturae quadrare, toti persuasum habemus. Sane neque iuris publici I. R. G. solida acquiri poterit notitia, neque ipsum illud ius, et controuersiae, circa negotia I. R. G. publica oriundae, commode diiudicari poterunt, nisi cum LL. Imperii fundamentis, quae propria iuris nostri principia constituunt, iuris quoque naturae placita constanter coniunxeris. Quodsi enim *scire leges non est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem,* <sup>f)</sup> quam qui penitus introspicere velit, opus omnino habet, vt in veras legis cuiusvis rationes inquirat : frustra quoque is erit, qui LL. publicas se scire crediderit, neque tamen fundamenta earum satis cognita habet et perspecta. Cumque, quod ipse SPENERVS<sup>g)</sup> fatetur, prima omnis iuris publici fundamenta in iure naturae quaerenda ~~erit~~, non possumus, quin, huius iuris studium, ad solidam iuris publici, I. quoque R. G., cognitionem acquirendam, non utile modo, sed plane ne-

## XIV

cessarium esse, defendamus. Et quoniam *omnes LL. ita scribi nequeunt, ut omnes casus, qui quondam inciderint, comprehendantur,*<sup>b)</sup> adeoque, ut, prudentum iudicunque interpretatione, ad casus obuenientes dextre applicentur, opus omnino est,<sup>c)</sup> quod itidem, nisi perspectis legum rationibus fieri nequit; neque in tractandis et decidendis negotiis iuris publici, et controversiis, circa ea oriundis, iuris naturae praesidio carere poterit, qui, nubem pro Iunone amplecti, non habet in deliciis. Siue igitur ipsam iuris publici I. R. G. doctrinam spectemus, siue respiciamus ad praxin eiusdem atque usum, nusquam sane proficere quidquam, sine iuris naturae auxilio, poterimus. Hinc quoque est, quod ius nostrum publicum, ex quo iuris naturae prudentia magis coli coepit, aliam prorsus induerit formam, atque, eliminatis antiquis illis erroribus et praeiudiciis, in melius in dies mutatum fuerit. Neque igitur, iuris huius in iure publico usus subsidiarius tantum dici potest, quin potius, veri principii honorem illi decernamus, necesse est. Quod pluribus adhuc patebit*ex iis*, quae dicenda erunt, ubi ad specialiora perueremus. Hic saltem dubiis quibusdam occurrere adhuc mens est, quibus contra sententiam nostram insurgere possent, qui in contraria omnia abeunt. Minus proprie principii nomine ornari, putabunt, ius, ad quod, deficientibus demum principiis proximis, recurrentum esse, sibi persuadent; quamvis olim, in constitutione reipublicae, vis ac potestas horum principiorum, siue legum fundamentalium, ex illo pendebat.<sup>b)</sup> At enim vero, quemadmodum verbis potius, quam ipsa re, a nobis dissentire videntur, qui ita sentiunt, siquidem omnis argumenti huius vis eo redit: Leges fundamentales, propria et proxima constituere iuris publici principia, ad remota vero et communia ius naturae pertinere; ita quoque, si verum illi dissensum urgeant, facilis ad illud erit responsio. In eo enim differentia, inter principia iuris publici communia

nia et propria potissimum se exserit, dum, quae illa generatim de negotiis obuenientibus definiunt, haec speciatim ad statum cuiusvis Rei publicae adplicant atque adcominodant, vnde quoque, salua thesi nostra, concedere possumus, in decidendis controversiis, primo omnium ad posteriora respiciendum esse, neque aequali omnino ratione vtraque in illis concurrere. Interim tamen id quoque satis clarum esse atque euidens, confidimus, neque hoc casu, neque in tradendo iure publico, negligere nos posse principia eius communia, et ius in primis naturae, quoniam, ut modo probauimus, sine eis, nec satis intelligi possunt principia propria, nec commode ad facta applicari. Neque est, ut quis obiciat, hoc sensu ipsam quoque Politices doctrinam,<sup>1)</sup> quin imo et historiam Imperii nostri, inter principia iuris publici communia, referendas esse. Illa enim non tam, quid iustum sit, quam quid expeditat, tradit, vnde quoque, quas nobis ea praescribit regulas, legum numero haberi, neutiquam possunt, nisi expresso eorum, penes quos, leges publicas condendi, potestas est, consensu, inter eas adoptatae fuerint. Haec autem, dum occasionem indicat legum Imperii, atque obseruantiae in primis et consuetudinis Imperii fundamenta vnicce fere suppeditat, suo quodam merito inter principia iuris nostri publici communia locum occupat,<sup>2)</sup> neque tamen, quin ius quoque naturae illis adnumeremus, obstare poterit.

- a) Vid. §. III.
- b) Vid. TITIVS L. I. c. I. §. 76. p. 30. 10. GEO. KVLPIS. pos. iur. publ. Ex. I. pos. 9. in Vol. Diff. edit. SCHILTERI no. V. p. 224.
- c) Vid. auctores §. I. not. i) adductos, atque in primis SFENER. L.I. c. XII. §. I. not. a. p. 360. f.
- d) §. I. in f.
- e) §. III.
- f) L. 17. D. de LL.
- g) Loc. cit. j. L. I. c. I. §. 7. p. 12.
- h) L. 10, et 12. D. de LL.

## XVI

i) L. II. et I2. cod.

k) SPENER. all. loc. not. a. p. 360.

l) IDEM all. loco.

m) Vid. SPENER. all. loc. §. I. not. c.p. 362. L. I. c. XI. §. 8. p. 354.

seqq. TITIVS L. I. c. I. §. 76. p. 30. f. quamvis KVLPIS all. loc.  
eam inter adminicula tantum non legalia referat.

## §. VI.

### DE FORMA IMPERII R. G.

Magis adhuc, quae hactenus differuimus, elucescent, vbi ad singulas iuris naturae partes animum aduertimus. Neque enim illarum omnium idem in iure nostro publico usus est. Potiores supra <sup>a)</sup> memorauimus, quarum etiam hic in primis rationem habere, conuenit. Ius nimirum naturae, generalius consideratum, in tres potissimum abit partes, priuatum, publicum et Gentium. <sup>b)</sup> Quamuis enim primo intuitu videri posset, non, nisi posteriori, inter principia iuris nostri publici locum quendam concedendum esse; ex sequentibus tamen apparebit, prioris quoque, eiusque, quod ultimo loco nominauimus, frequentem esse in iure publico usum, pro ratione scilicet formae Imperii nostri, ad quam, in illo definiendo, respiciamus, quam maxime est necessarium. Notissima sunt, quae inter doctores iuris publici, circa hanc Imperii R. G. formam litigia regnant. <sup>c)</sup> Monarchicam ei formam tribuere, antiquorum fere omnes non dubitarunt, <sup>d)</sup> quamuis nonnulli eam limitatam velint; <sup>e)</sup> alii mixtura delectantur; <sup>f)</sup> oligarchia illud est IO. EICHELIO, <sup>g)</sup> HIPPOLETHO vero A LAPIDE Aristocracia, <sup>h)</sup> quin imo et inventus fuit, qui inter Democratisas referri posse, defendit. <sup>i)</sup> Verum ex quo historiae patriae studium maiora incremente coepit, atque ipsius quoque iuris naturae doctrina luci suae restituta est, omnes has naenias eiurarunt, qui inter recentiores iuris publici prudentes eminent. Neque tamen ideo una omnium de forma Imperii nostri est sententia, quin potius in

in duas illi abeunt sectas, quarum altera, pro systemate plurium rerum publicarum, vnitarum seu iunctarum vinculo communi, pugnat,<sup>k)</sup> altera, Imperium R. G. vnam tantum rem publicam constituere, strenue defendit.<sup>1)</sup> Nostrum non est, tantas componere lites, diffiteri tamen non possumus, hactenus quidem priori potius, quam posteriori, nos subscribere sententiae. Quamuis enim forte non adeo esset difficile, vtramque opinionem in vnam consonantiam erigere,<sup>m)</sup> modo, quae vtrinque misceri solent, ex partium magis, quam hypotheseos, studio enatae conclusiones removeantur, ita, vt, qui vnam volunt rempublicam, in Statuum iura, qui sistema plurium ciuitatum amant, in praerogatiwas Imperatoris ne inuadant, sedulo caueant; siquidem parum intererit, quod demum reipublicae nostrae nomen accommodent, modo circa principia ipsa, ipsumque capitis et membrorum inter se habitum, amice conspirent. Interim tamen, quoniam id semper sequi iubemur, quod magis certum est, eaque, quae in Statibus Imperii nostri, eorumque, tum potestate summa in prouincias, sibi subiectas,<sup>n)</sup> tum ad Imperatorem atque Imperium relatione,<sup>o)</sup> obseruamus, ita comparata sunt, vt formae vnius rei publicae, limitatae licet et temperatae, aut mixtae, parum respondeant; non possumus sane, quin, relicta hac hypothesisi, quam tot tantaeque premunt difficultates, quamque non nisi schemata quaedam externa<sup>p)</sup> et solennes formulae,<sup>q)</sup> cum ipsa rei natura non admodum cohaerentes,<sup>r)</sup> persuadere possunt, eam potius amplectamur, in qua omnia plana sunt, minimeque impedita, quaeque iis, quae in ipsis rerum argumentis obtinere comprehendimus, atque Imperium nostrum administrandi rationi, apprime conuenit. Quidquid sit, in eo tamen omnes, qui扇iora in iure nostro publico principia sequuntur, conspirant, summam in Imperio R. G. potestatem, ita inter Imperatorem et Status Imperii<sup>s)</sup> diuisam esse, vt, quoad singula

C

quidem

## XVIII

quidem territoria, quilibet Statuum eam proprio iure exerceat, eatenus tamen, quatenus legibus Imperii fundamentibus, pactis itaque et spontanea Statuum voluntate,<sup>5)</sup> eius exercitium restrictum non est; quodsi vero ad ipsum respicias Imperium, summa illa potestas ita penes Imperatorem et Status Imperii residet, vt non, nisi coniunctis consiliis, eam exercere queant,<sup>6)</sup> modo minora quaedam iura maiestatica, et quae ad externum potius splendorem, quam internum publicumque rei publicae statum, pertinent, exceperis,<sup>7)</sup> quae scilicet, ex antiqua illa Imperii nostri forma Monarchica, quain sub CAROLO M. habuit, et sub eius quoque successoribus, variis tamen vicissitudinibus et mutationibus limitatam laxatamque, per aliquot secula retinuit,<sup>8)</sup> adhuc dum remanserunt, atque Imperatori soli quidem, ad normam tamen legum fundamentalium atque obseruantiae Imperii, exercenda, relicta fuerunt.

a) §. IV.

b) Omnes tres partes distinxit, et separatas pertractauit B. G R I B N E R V S princ. iurisprud. natural. Lib. IV. (Witt. 1717.8.) conf. etiam M V L L E R. im Natur- und Voelckerrechte,

c) Conf. NIC. CHPH. LYNCKER, de forma Imp. R. G. Ien. 1686. IOACH. HENR. SIBRAND. variae auctorum sententiae de forma S. R. I. Rost. 1695. IO. THEOD. SCHEFFER, de Forma Imp. R. G. Frf. et Lips. 1720. 4.

d) Conf. KVLPI S. ad MONZAMBAN. P. II. c VI. §. 6. quibus respondet TITIVS inr. publ. L. VII. c. IX. §. 20. seqq. pag. 775. s. et in diss. de habitu territor. germanic. et inde veniente totius rei publicae forma. Cap. II. §. 86. seqq. p. 325. s. conf. HIPPOL. A LAPIDE de rat. Status in Imp. nostro R. G. P. I. cap. XVIII. p. 247. seqq. (1640. 4.)

e) Vid. TITIVS L. VII. c. IX. §. 21. 22. p. 776. et in all. diss. c. II. §. 87. s. p. 325. seqq.

f) Conf. TITIVS L. VII. cap. IX. §. 26. s. p. 777. et in all. diss. c. II. §. 91. s. p. 330. seqq.

g) In diss. de Republ. mixta. thes. 19.

h) De ratione Status in Imp. nostro R. G. in primis P. I. c. XVII. p. 241. seqq. ad quem confer. BOECLER. in annot. ad HIPPOL. A LAPIDE (Arg. 1674. 4.) KVLPI SIO, eandem sententiam defendantia all. loco §. 4.

XIX

§. 4. respondet TITIVS, iur. publ. L. VII. c. IX. §. 23. f. p. 776. f. et  
in all. diff. §. 90. p. 328. f.

i) Vid. 1. W. RELFENDSO (f. IO. WOLFFG. ROSENFELD.) de  
summa Principum Germanorum potestate, (1669. 12.) c. XIII. p. 189. f.  
ipse tamen potius statum politicum Germaniae tribuendum pronun-  
ciat ibid. p. 196. f.

k) Cuius antesignanum merito nominaueris SAM. PVFFENDORFIVM,  
in epist. quam sub dicto SEVERINI DE MONZAMBANO nomine  
publicauit, de Statu Imperii Germanie, et in diff. de Republ. irregulari  
(Lund. 1669. 8) quem sequitur TITIVS iur. publ. L. VII. c. IX. §.  
1. f. p. 760. seqq. et in all. diff. Cap. II. SPENER. iur. publ. L. II. c.  
XV. §. 1. P. III. p. 416. f. add. L. I. c. IV. P. I. p. 72. seqq. Conf.  
CASP. DIETR. a SCHOENBERG Pos. ad vj. iur. nat. et Gent. in  
foro ciuili, Diff. V. c. X. pos. 29. seqq. (Praef. IO. BALTH. WERN-  
HERO Witreb. hab. et an. 1704. iunctim ed. 4.) I. P. DE LVDE-  
WIG ad A. B. P. I. p. 30. f. n. g. p. 389. seqq. n. f. p. 417. f. n. u.  
qui cum H. COCCEIO in iuris publ. prud. c. II. §. 24. f. p. 35. seqq.  
pro systemate VII. RP. pugnat.

l) Cuius inter asseclas eminet IO. GE. KVLPIS. in diff. de unitate rei  
publicae in S. R. I., praeside VLR. OBRECHTO habita, Argent. 1676.  
in opusc. OBRECHTI num. XIV. p. 283. f. et in KVLPIS. diff. aca-  
dem. Volumine num. VII. p. 256. f. seqq. NIC. CHPH. LYNCKER,  
de forma f. Statu S. R. I. Ien. 1686. add. STRVV. Synt. iur. publ.  
cap. VI. §. 78. et Illustr. MASCOVIVS princ. iur. publ. I. R. G. L.  
III. cap. I.

m) Plura enim, quae de vna illa re publica afferuntur, in systemate etiam  
civitatum aeque locum inueniunt, quin imo ipsa definitio rei publicae  
vnius, quam vid. ap. OBRECHT. in opusc. all. loc. §. 4. p. 245. aut  
KVLPIS. cit. Vol. diff. n. VII. c. I. §. 3. p. 260. huic quoque conuenit.  
Aliam tamen suppeditat TITIVS iur. publ. L. VII. c. VII. §. 19.  
p. 734.

n) Confer. quae de superioritate territoriali disputat TITIVS all. diff.  
c. I. §. 36. seqq. p. 281. et §. 59. seqq. p. 301. et in iur. publ. L. VII.  
c. VIII. §. 14. p. 763.

o) Sunt enim reuera Co-imperantes, conf. SPENER. iur. publ. L. II.  
c. XI. P. III. p. 208. seqq.

p) Quo pertinet nexus feudalis, qui tamen summum Imperium non  
imminuit, conf. GROTIUS, de I. B et P. L. I. c. III. §. 23. p. 105.  
seqq. CAESARINVS FVRSTENERIVS, de iure Suprematus ac Le-  
gationis Principum Germaniae cap. XXX. p. 93. (1677. 8) SEVERIN.  
DE MONZAMBANO de Statu Imperii German. c. III. §. 4. p. 92. f.  
(1684. 8.) TITIVS. all. diff. §. 61. p. 303. de homagio conf.  
IDE M iur. publ. L. IV. c. VII. §. II. 20. p. 459. 461. it. L. V. c. III. §. 9.  
p. 528. it. p. 753. 765. HIPPOLYTHVS A LAPIDE P. I. c. VII.  
p. 92. f.

## XX

- q) Quas etiam in subsidium vocat KVLPI<sup>S</sup>. all. diff. in opusc. OBRECHT.  
§. 13. seqq. p. 292. et in diff. KVLPI<sup>S</sup>. Vol. n. VII. c. II. §. 8. f.  
p. 273.
- r) Vid. quae hanc in rem disputat, MONZAMBANO, c. VI. §. 6. p.  
226. conf. HIPPOL. A LAPIDE P. I. c. III. Se<sup>t</sup>t. I. p. 31. f. et c.  
VI. Se<sup>t</sup>t. II. p. 82. f.
- \*) De hoc elogio vid. SPENER. L. II. c. VII. §. I. n. a. P. III. p. 2. f.
- f) Vid. SPENER. iur. publ. L. I. c. IV. P. I. p. 72. seqq.
- t) Conf. IDEM all. loc. L. II. c. XI. P. III. p. 238. f. TITIVS iur. publ.  
L. VI. c. II. p. 605. seqq.
- u) Conf. quae de referuatis Imperatoris tradit TITIVS, iur. publ.  
L. V. c. III. §. 24. seqq. p. 532. SPENER. iur. publ. L. IV. c. V. P.  
V. p. 121. seqq.
- x) Conf. BOECLER, in vita Caroli M. p. 19. HERTIVS in notitia Re-  
gni Francici c. IV. §. 3. et c. V. SPENER. L. I. c. II. §. 4. p. 28. f.  
et not. a. p. 29. TITIVS iur. publ. L. VI. c. II. §. 2. f. p. 605. f.

## §. VII.

### QVATENVS SINGVLAE IVRIS NATVRAE SPECIES AD PRINCIPIA IVRIS PVBLICI I. R. G. REFERENDAE.

Ex iis, quae superiori §. disputauimus, apparebit, qua-  
demum ratione membra Imperii nostri considerare debean-  
mus, vt pro diuerso eorum statu, quo illa iure vtantur, que-  
amus ostendere. Et communis quidem illa, in imperantes  
et parentes, diuisio in his quoque locum sibi vindicat, minus  
tamen sufficere potest, ad omnem earum naturam atque in-  
dolem cognoscendam. Quodsi enim ad partes illas, ex qui-  
bus integrum Imperii nostri corpus conficitur, respiciamus,  
deprehendimus, plures illud complecti res publicas, quarum  
subditi quidem ipsis quoque Imperio subiecti sunt, at me-  
diate tamen, quatenus nimirum imperantes earum summae in  
Imperio potestati subordinati sunt, eidemque per pacta Im-  
perii constitutiua, quae leges fundamentales nominamus, sub-  
iiciuntur: Hi autem intuitu reipublicae, quam quisque regit,  
summam ipsimet exercent potestatem, et iure quidem pro-  
prio, pro indeole tamen cuiusvis territorii; in relatione vero

ad

ad ipsum Imperium diuersimode considerandi sunt, quatenus nimirum vel, ut vniuersi, summam in eo potestatem exercent, vel, ut singuli, membra constituunt Imperii, adeoque ipsimet quoque Imperio certa ratione subsunt, eiusque legibus obligantur.<sup>a)</sup> Hinc etiam, vbi cum Constatibus conferuntur, non simpliciter priuatis aequiparari possunt, quamvis inter se aequales, eidemque imperio subsint;<sup>b)</sup> verum opus omnino est, ut hoc quoque respectu conditionis eorum, vi cuius ipsimet in territoriis suis summi imperantes sunt, ratio habeatur. Quod itaque multo magis adhuc intuitu exterorum, quiue ad Imperium nostrum non pertinent, locum habebit. Neque tamen veris quoque Imperium nostrum subditis destituitur, qui de summa potestate non participant, quibusque una parendi gloria relicta est.<sup>c)</sup> Quae quidem ideo necessario praemittenda fuerunt, ut, quem ius naturae in iure I. R. G. publico vsum praestare, quaue ratione inter eius principia connumerari possit, definire valeamus. Quod enim superius iam aliquo loco<sup>d)</sup> monuimus, homines, pro diuerso, in quo vivunt, statu diuersis quoque vti iuribus, membrorum etiam Imperii intuitu locum habet, et vel ideo curatiorem considerationem meretur, quo magis appetet, diuersissimos eorum intuitu respectus occurrere posse. Negotia itaque Imperii, iure publico definienda, non vnius sunt generis, variisque iuris speciebus locum relinquunt. Et propriè quidem, ea tantum ad illud pertinere, certum est, quae publica dicuntur, et ipsam rei publicae formam, atque eam administrandi modum concernunt. Quorum respectu, iuris naturae non nisi publici inter principia iuris nostri publici mentionem facere poterimus. Quamvis enim omnia haec negotia legibus in primis Imperii fundamentalibus regantur; ipsae tamen illae leges, non fundantur modo in iure publico vniuersali, verum etiam ex eiusdem principiis vim suam obligandi habent, adeoque ius illud ad eas, tam intelligendas et tradendas, quam

## XXII

applicandas, maxime est necessarium. <sup>c)</sup> De quo magis adhuc ex inferius dicendis constabit, vbi de ratione, qua usus iuris naturae in iure publico se exserit, videbimus. At enim vero nec reliquis iuris naturae speciebus, inter principia iuris publici, locus denegandus erit. Quum enim, quid circa negotia membrorum Imperii, tam inter se, quam cum exteris obtineat, ad ius quoque publicum Imperii nostri certa ratione referre, ideo visum fuerit, quia eiusdem decisio vel maxime quoque ex statu illorum et relatione, quam ad I. R. G. habent, dependet; non possumus sane, quin ius naturae priuatum etiam et gentium principiis iuris publici adnumeremus. Ut itaque breui, quae mens nostra sit, circa usum iuris naturae in iure publico I. R. G. exponamus, sequentibus eam exprimere usum est positionibus.

I) Ius naturae publicum, particulare illud singulorum I. R. G. territoriorum fundat, illustrat et moderatur.

II) Eundem usum idem illud ius intuitu iuris publici I. R. G. strictim dicti, et quatenus hoc rei publicae Germanicae formam atque eam administrandi modum definit, praefstat.

III) In negotiis Statuum Imperii inter se, nec non iis, quae cum subditis eorum eos intercedunt, quatenus nimirum posteriora ad cognitionem totius Imperii pertinent, iuri naturae priuato et Gentium locus est.

IV) Denique idem ius Gentium negotia Statuum Imperii cum exteris moderatur. Legum autem Imperii fundamenta-  
lium, mentionem hic factam esse nullam, ideo vitio verti nobis non poterit, quia de principio iam agimus communis, quod tantum abest, ut propria excludat, ut ea potius ipsa sui natura presupponat, earumque ante omnia rationem habere, dicitur.

a) Conf. TITIVS, *iur. publ.* L. VII. c. VIII. pos. 23. seqq. p. 766. et *cit. diff.* c. I. §. 62. seqq. p. 304. seqq. et quae superiore §. iam occupauimus.

b) Conf. TITIVS, L. I. c. I. §. 47. seqq.

c) Conf.

- c) Conf. SCHWEDE R. P. spec. Se<sup>a</sup>t. II. c. XVIII. p. 1045. seqq. RHE-  
TIVS L. I. tit. 3. p. 145. f. SPENER. L. II. c. VII. §. 4. P. III. p. 9.  
seqq. PFEFFINGER. Lib. II. tit. 19. §. 1. n. e. p. 836. quamuis  
quoad Nobiles Imperii immediatos res dubio non careat. Iura eo-  
rum strenue defendit IO. HENR. FELTZIVS, cuius diff. VI. de di-  
gnitate Nobil. Imp. imm. ipso hoc anno Lipsiae iunctim prodierunt.  
4. De Italia vid. SPENER. L. II. c. I. §. 9. seqq. P. II. p. 22. L. III.  
c. II. §. I. not. d. seqq. P. IV. p. 43. et c. VII. §. 6. ib. p. 244. seqq.  
Illustr. MASCOVIVS L. II. c. V. in primis §. 74. seqq. LVD. CONR.  
DAHN, in diff. de Vasallo non Statu Imperii, praef. IO. CHPH.  
SCHROETERO Ien. hab. 1704. et eod. an. in forma tractatus re-  
cusa. 8.
- d) §. II. not. d.
- e) Conf. §. V.

## §. VIII.

### C O N T I N V A T I O . DE NEGOTIIS STATVVM IMP. INTER SE ET CVM SVBDITIS.

Prior propositio vel ideo probatione eget nulla, quia iam supra <sup>a)</sup> ostendimus, ius publicum vniuersale fundamen-  
tum et quasi fontem omnis iuris publici particularis consti-  
tuere, maximamque, tum in illustrando eo, tum in applicando,  
vsum praestare. Id saltem monemus, non frustra hanc a no-  
bis propositam esse regulam, vbi de vsu iuris naturae in iure  
I. R. G. publico agimus. Quum enim Status Imperii nostri,  
non obstante summa, quam in prouinciis suis exercent, pote-  
state, Imperio tamen subiecti sint, hoc merito quoque  
sibi vindicat ius, defendendi subditos illorum contra vim in-  
iustam, et quae contra leges cuiusvis territorii fundamentales  
iisdem infertur, <sup>b)</sup> siquidem omnino reipublicae interest, ne  
quis re sua male vtatur. Quodsi igitur eiusmodi querelae ad  
Imperium delatae fuerint, in iis decidendis, praeter leges illas  
fundamentales, iuraque Imperii nostri propria, quam maxime  
quoque ad ius publicum vniuersale respiciendum erit. Ad  
Imperium autem, diximus, has referendas esse querelas.  
Quamuis enim nos non lateat, ius, protegendi subditos con-

tra

## XXIV

tra dominorum territorialium insultus, a quibusdam soli Imperatori tribui, eiusque adnumerari solere reseruatis; <sup>c)</sup> reveremur tamen, ne parum illud conueniat conditioni Statuum Imperii, quae minime permettere videtur, vt negotia, quae libertatem, dignitatem, et potestatem eorum concernunt, soli Imperatori decidenda, relinquuntur. Alteram, quod attinet regulam nostram, vt in illa illustranda prolixiores simus, minus est necessarium. Quae enim superius <sup>d)</sup> iam hanc in rem disputauimus, eidem demonstrandae sufficere posse, toti confidiimus. Progrediuntur itaque ad tertiam propositionem, qua asseruimus, in negotiis Statuum Imperii inter se, aut cum subditis suis, iuri naturae priuato, gentiumque locum esse. Neque enim cum communi Dd. vulgo sentiendum putamus, qui Status Imperii in negotiis eiusmodi, quae priuata vocant, priuato tantum iure vti, sibi persuadet, <sup>e)</sup> maxime vbi hoc nomine ipsum ius Ciuale, seu Romanum, intellectum volunt. Nimis profecto iniurii sunt in Principes nostros, qui facta eorum ad hanc regulam examinanda pronunciant. Principes enim, eiusmodi actus celebrantes, principes ideo, hoc est, summi imperantes esse non desinunt, hinc quoque omnis dignitatis eorundem respectus minime est abiiciendus. <sup>f)</sup> Interim tamen, quae hac positione continentur, pleniorum paulo merentur considerationem. Negotia nimirum Statuum Imperii, de quibus hic agimus, vel alios Con-Status, vel subditos respiciunt. Vtraque non vnius sunt generis, neque adeo omnia huc pertinent. Quae enim cum Con-Statibus principes ineunt negotia, vel res causasque mere priuatas concernunt, vel territoria aut ipsum Imperium afficiunt. <sup>g)</sup> De posterioribus dubitare non attinet, quin ad ius publicum, proprie sic dictum, pertineant, adeoque ad alteram, quam suppeditauimus, regulam referri debeant. Sic v. gr. alienationes et oppignorationes territoriorum, servitutes iis imponendas, confoederationes item, et id genus conuentiones alias,

## XXV

alias, ad ius priuatum plane non posse referri, defendimus, neque eiusdem principia admittere, nisi in quantum lege aut consuetudine Imperii, adeoque ipso iure publico, ea adoptata esse, constat. Priorum e contrario intuitu alia omnia dicenda sunt. Horum enim respectu Principes nostri eodem, quo alii summi imperantes, iure vtuntur, iure nimirum Gentium. Quae tamen sententia limitatione quadam restringenda est. Status enim nostri, quatenus sunt membra I. R. G., superiorem aliquam in se agnoscant iurisdictionem, summorum scilicet Imperii tribunalium, quibus controversiarum suarum decisionem per leges Imperii fundamentales commiserunt.<sup>h)</sup> Eatenus itaque haec quoque negotia priuatorum indolem induunt, atque ex iuris etiam priuati principiis decidenda sunt. Quo tamen nomine non ius ciuale, sive Romanum,<sup>i)</sup> sed illud potius Imperii nostri, quod legibus vel consuetudinibus eiusdem constitutum vel receptum est, et ius in primis etiam naturae, intelligitur.<sup>k)</sup> Neque vero obscurum esse potest, ita illud negotiis Statuum applicandum esse, ut conditionis simul eorum, qua summi in territoriis imperantes sunt, ratio habeatur, adeoque, nec hoc respectu vsum iuris Gentium, in his Statuum negotiis, frustra a nobis assertum fuisse, constat.<sup>l)</sup> De negotiis denique Principum nostrorum cum subditis suis idem fere dicendum. Summa penes eos in territoriis suis potestas est, adeoque non minus, ac alii summi imperantes, legibus soluti sunt,<sup>m)</sup> imo naturalibus quoque, si obligationem externam spectes, iis exceptis, quae ipsam rem publicam respiciunt; legibus tamen viuunt, adeoque in contractibus atque aliis actibus, cum subditis celebrandis, priuati quoque iuris vsum admittunt. Idque eatenus ex iuris quadam necessitate fieri constat, quatenus illi, tanquam membra Imperii, summis eiusdem subsunt iudiciis, coram quibus a subditis quoque suis conueniri possunt.<sup>n)</sup> Neque vero aliud ius illud priuatum erit, quam,

D

aut

## XXVI

aut particulare territorii, aut vniuersale Imperii, habita tamen omnino et iuris naturae tum priuati, tum, ob dignitatem Statuum et potestatem, et Gentium ratione. Ex quibus facile quoque, quid circa negotia Statuum, cum aliorum Principum subditis, statuendum sit, definiri poterit.

- a) §. V. conf. BOEHMERI *introd. in ius publ. vniuersi.* P. gen. c. IV. p. 92. seqq.
- b) Conf. PFEFFINGER *ad VITRIAR.* L. III. tit. 2. §. 60. n. 19. P. III. p. 330. seqq. tit. 17. §. 72. n. b. p. 1244. s. et tit. 19. §. 89. n. b. P. IV. p. 71.
- c) Vid. FRANC. FRID. AB ANDLER *Corp. Rec. Imp. v. Kayser.* n. 21. (4) imo legibus ciuilibus eos subiicit, v. *Reichs-Fürsten.* n. 8.
- d) All. §. V.
- e) Conf. RHETIVS, L. I. Tit. I. §. 71. p. 39. conf. 10. IAC. HELFRICH, *de iurisprud. Princip. Ordin. S. R. I. G. priu. Spec. II.* §. I. n. c. p. 12.
- f) Conf. SPENER. L. I. c. 12. §. 5. in pr. n. c. p. 371. s. P. I. TITIVS L. IV. c. 9. p. 469. seqq.
- g) HELFRICH, *all. loc. Spec. I.* §. 12. p. 19.
- h) Conf. TITIVS L. VII. c. I. §. 21. seqq. p. 685. SPENER, L. II. c. X. p. 144. P. III.
- i) Conf. B. MICH. HENR. GRIBNER. *de praeiud. Princip. Iug. ex abuso iur. Iustin.* c. II. §. I. p. 26. s. HELFRICH, Spec. II. §. 3. p. 15. seqq.
- k) Conf. SPENER, L. I. c. XII. §. 3. seqq. p. 365. P. I. GRIBNER. *all. loc.* §. 5. seqq.
- l) Vid. 10. GEO. DE PONIKAV, *diff. de conditione priuata Statuum Imperii.*
- m) Conf. PUFFENDORF, *de I. N. et G. L.* VII. c. VI. §. 3. p. 213. s. P. II. TITIVS, L. I. c. I. §. 59. seqq. p. 24. et L. III. c. IX. §. 5. p. 373.
- n) Conf. PFEFFINGER, *all. loc.* p. 1244. seqq.

## §. IX.

### DE NEGOTIIS STATVVM IMP. CVM EXTERIS. NEGOTIA DOMESTICA STATVVM.

Restant denique, quarto, negotia Statuum I. R. G. cum exteris, in quibus decidendis iuri Gentium locum assignauimus. Verum et haec curatiorem considerationem merentur,

rentur, siquidem plures circa ea quaestiones occurunt, non vna communi regula dirimendae. Quum enim Status Imperii duplarem gerere personam constet, summorum nimirum imperantium, intuitu territorialium, quae possident, et subditorum, intuitu Imperii, facile apparere potest, non plane eandem illis, cum aliis imperantibus, quoad negotia, cum exterris celebranda, libertatem adscribendam esse, sed haec eorum potestas eatenus potius restringenda venit, ne ex eiusmodi negotiis praeiudicij quidquam, vel in Imperium, vel in Constatus, redundet.<sup>4)</sup> Quo quidem respectu ea iuri publico, tam particulari Imperii, quam vniuersali, subsunt. Quatenus vero eiusmodi negotia Status Imperii nostri licite ineunt, tam quoad formam, quam quoad obligandi modum, vnicce ex iure Gentium diiudicanda sunt. At quoad media, ius suum ab altero consequendi, anceps omnino oritur quaestio. Neminem latet, iure Gentium non, nisi bello, cogi posse refractarios, ut obligationem, qua nobis obstricti sunt, adimpleant.<sup>5)</sup> Quid ergo de Statibus Imperii dicendum erit? Et an hic quoque ius Gentium usum praestare poterit? Poterit sane, modo legum quoque publicarum simul ratio habeatur, quia nimirum de membris Imperii nostri sermo nobis est. Quod ut dilucidius appareat, duos, in quibus eiusmodi medio opus esse possit, casus paucis exposuisse, iuuabit. Aut enim Status quidam Imperii exterо cuidam Principi ius suum denegat, aut ab hoc ille hanc patitur iniuriam: Et illo quidem casu non inficiamur, Principem extraneum conuenire posse Statum Imperii coram summis Imperii tribunalibus,<sup>6)</sup> inaxime cum Imperii quoque intersit, ne Statui ab exteris bellum inferatur, ex quo non hic modo, verum et ipsum quoque Imperium, damnum facile pati potest. At neque dubitamus, quin, in decidendis his controvciis, ad ius cum primis Gentium respiciendum sit, quia Status Imperii exterorum intuitu pro priuatis haberi omnino nequeunt, neque ad leges

## XXVIII

et consuetudines Imperii ab his prouocari potest, vnde Status, vel hoc casu, iure summorum imperantium censendi sunt. Aliud tamen dicendum videtur, quando ius, quod extraneus persequitur, ex lege quadam Imperii publica, v. g. pacificatione vel foedere descendit, aut Status decisioni legum Imperii expresso pacto negotium subiecerit. Quodsi tamen Principi extraneo, hanc ingredi viam, volupe non fuerit, nec non posteriori in casu, vbi is Statui cuidam Imperii ius suum denegat, non nisi ex Gentium iure lis poterit decidi. <sup>4)</sup>

Quae quidem sufficere posse putamus, ex quibus intelligi queat, quaenam iuris naturae partes, quae illae ratione, inter principia iuris publici I. R. G. connumerari debeant. Neque veremur, obiici nobis posse, plura, quae hanc in rem differuimus, non ad ius Imperii publicum, sed ad priuatum potius pertinere. Ex iis enim, quae hactenus in medium prolata fuerunt, satis constare poterit, quam arcto ius illud priuatum cum iure publico cohaereat vinculo, et ita quidem, ut omnia, quae ad illud spectant negotia, si non ab initio statim, certe tamen ex postfacto, vbi nimirum in controuersiam deducta fuerint, publicorum naturam consequantur, adeoque ad ius quoque publicum, eo tamen, quem demonstrauimus, modo, pertineant. Nec vitio nobis verti poterit, omissione magnae nobilisque negotiorum Principum Imperii partis, quae ipsas eorum familias domusque concernunt, adeoque non incongrue domestica vocari possent. Nihil enim hic de matrimonii, <sup>5)</sup> tutelis, testamentis <sup>6)</sup> et id genus aliis negotiis statuimus. Verum enim vero, cum satis appareat, omnia haec negotia vel cum Con - Statibus, vel exteris, vel subditis, quibus etiam vxores et liberos adnumerare, non dubitamus, <sup>8)</sup> celebrari, et praeterea statum, tum territoriorum, tum ipsius quoque Imperii, publicum quam maxime afficere; peculiari circa ea opus non fuisse regula, toti persuasum habemus. <sup>7)</sup>

a) Conf.

XXIX

- a) Conf. TITIVS, L. III. c. VIII. p. 356. seqq. IAC. BRVNNEMAN. de foederibus Statuum Imperii cum exteris. Hal. 1703. Illustr. MASCOVIVS de iure foederum in S. R. I. Lips. 1726. add. PFEFFINGER, L. III. tit. 19. §. 134. n. b. p. 83. P. IV.
- b) Vid. PVFFENDORF, I. N. et G. L. VIII. c. VI. §. 2. p. 433. GROTIUS I. B. et P. L. II. c. I. §. 2. p. 136.
- c) Vid. PFEFFINGER, L. III. tit. 2. §. 60. n. 19. p. 330. P. III. STRVV. Synt. iur. publ. c. I. §. 22.
- d) Conf. SPENER, L. I. c. XII. §. 2. not. d. p. 364. qui exemplum allegat FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburg., ob debitum pecuniarium Hispanorum naves interceptientis. vid. PVFFENDORF. rer. Brandenburg. L. XVIII. §. 10. II.
- e) Conf. PFEFFINGER, L. III. Tit. 2. §. 60. p. 290. seqq.
- f) IDEM, L. IV. tit. 20. §. 17. p. 112. seqq. P. IV.
- g) IDEM. L. III. tit. 17. §. 9. f. p. 1152. f.
- h) Conf. TITIVS L. III. c. IX. p. 470. seqq. SPENER, L. I. c. XII. §. 5 p. 368. seqq. it. L. II. c. XIII. §. 13. p. 366. seqq. P. III. et GRIBNER. all. diff. c. II. §. 6. seqq. p. 31.

§. X.

VSVS IVRIS NATVRAE IN ILLVSTRANDO ET CONFIRMANDO IVRE PVBLICO I. R. G.

Ne tamen vllum dissentientibus relinquamus sententiae suae praesidium, dum forte vrgere possent, omnia, quae hætenus differuimus, vsum, non nisi subsidiarium, innuere, nostrum nunc erit, vt modum quoque, quo iuris naturae in iure publico I. R. G. vslis se exferat, ostendamus. Ex hoc enim certo demum constare poterit, quo iure inter principia iuris publici locum mereatur. Atque duplcem potissimum eum esse deprehendimus, praeter subsidiarium illum, siue suppletorium, quem etiam a nobis dissentientes admittunt, quorum alter quidem ad illustrandum ius publicum, alter ad confirmandum illud pertinet. Ius sine interpretatione nullum est, nulla sine doctrina iurisprudentia. Ius itaque publicum quoque interpretatione et doctrina illustrandum erit et tradendum. <sup>a)</sup> Quamuis enim, ius publicum in Academiis docari debere aut posse, plures negauerint, <sup>b)</sup> interpretationem tam

### XXX

men omnem reiicere non potuerunt, siquidem et ipsa applicatio interpretationis quandam speciem constituit,<sup>4)</sup> atque opinio, ad minimum intuitu Imperii nostri, parum conueniens, ab aliis iam confutata est.<sup>5)</sup> De variis interpretationis speciebus hic agere, nihil attinet, maxime cum, non nisi doctrinalem, eam omnem esse, atque authenticam, quam vocant, cum visuali ad legislationem potius pertinere, nulli dubitemus.<sup>6)</sup> Id saltim defendimus, neque in adornanda iuris publici doctrina, neque in illustrandis legibus Imperii obscurioribus aut dubiis, iure naturae carere nos posse. Quodsi enim, ut CICERO loquitur,<sup>7)</sup> *Stirps omnis iuris natura est*, adeoque omne quoque ius publicum particulare in iure illo universalis, quod naturae dicimus, fundamentum suum inuenit, nemo sane illud commode tradere atque explicare poterit, nisi sufficiente instruēt sit huius doctrina. Omnes leges humanae, siue positivae, vel additamenta comprehendunt, quibus ius naturae auctum est, vel conclusiones, ex hoc deductas, continent. Eorum intuitu quam maxime interest, ut ab iis, quae iuris naturae sunt, probe secernantur; has autem, ex propriis potius principiis, quam legibus demum ciuitibus addiscere, omnino expedit, quo scilicet genuinum eorum sensum indagare, et legis adeo, non verba tantum, sed vim quoque et potestatem tenere, possimus.<sup>8)</sup> Quamuis igitur nec leges expressae, quas publicas fundamentales hic dici constat, nos deficiant, iure tamen naturae carere non poterimus, aut omnis, quam in iure publico affectamus scientiam, manca erit, et valde superficiaria, imo haud raro multum ineptiens, quando nimis, veri legis cuiusdam principii loco, non nisi absurdā glossemata, aucupamur. Quod, vti intuitu legum illarum certum est, quae satis clarae sunt et perspicuae ita multo magis adhuc in dubiis atque obscuris locum habebit. Ius naturae fundamentum omnis iuris humani constituit, adeoque illi etiam, penes quos, leges in I. R. G. publicas

cas

cas ferendi, potestas est, in his condendis, illius rationem habuisse, idque in dubio potius voluisse confirmare, praesumendum est. Neque adeo sensus cuiusdam legis publicae, principiis iuris naturae contrarius, vñquam defendendus erit, sed in dubio strictim illud sequi conuenit. Quod qui fecerit, nunquam profecto praecognitis opinionibus, antiquitatis licet speciem p̄ae se ferentibus, seduci, aut partium studio poterit corrumphi. Qum e contrario, neglectis iuris naturae studiis, facillimum sit, vt opinionem quandam, satis quidem speciosam, omni tamen fundamento penitus destitutam, adoptemus, maxime, vbi, parti cuidam p̄ae caeteris dediti, id semper magis verum iustumque arbitremur, quod eidem quam optime conuenit. Ex quibus facile quoque de altero, quo iuris naturae in iure publico I. R. G. usus se exserit, modo, qui in confirmingando hoc consistit, constare poterit. Fieri sene vix potest, vt, quod vni expedit, alteri quoque conductat, hinc frequentes admodum de legibus parum aequis, exaudiuntur querelae. Idem quoque intuitu iuris publici euenire constat. Non exteri modo illud saepius iniquitatis atque iniustitiae accusare intendunt, verum et ipsa quoque membra Imperii, quorum commodis hoc vel illud, legibus publicis sanctum, parum conuenire videtur, de iis conqueruntur. Qui sene clamores compesci non poterunt facilius, quam demonstrata, legis posituae cum iure naturae, consonantia.<sup>b)</sup> Iuris autem naturae ideo hoc §. generatim tantum mentionem fecimus, ne opus haberemus, ea repetere, quae §§. proxime praecedentibus iam differuimus, ex quibus, quaenam iuris naturae species, pro indeole cuiusvis negotii, praecipue attendenda sit, facile constare poterit.

a) Dissentire videtur SPENER, L. I. c. I. §. 10. p. 16. f. conf. tamen, quoad ius publicum I. R. G., IDEM, C. III. p. 39. P. I.

b) Vid. PFEFFINGER, in Prooem. §. 18. p. 24. f. P. I.

c) Conf. CHR. GODF. HOFFMANN. diff. de ratione interpret. LL. I. R. G. publicas. c. I. §. 5. p. 4. (Lipſ. 1720.)

d) Conf.

## XXXII

- d) Conf. PFEFFINGER. *all. loco. TITIVS*, L. I. c. I. §. 34. p. 15.
- e) Conf. HOFFMANN. *all. loco, et c. III. 10. LAVR. HOLDERRIE- DER, de princ. interpret. LL adaequat. Sect. I. §. 5. 6. (L. 1736.)*
- f) *De legibus.* L. I.
- g) Vid. BOEHMER. *iur. publ. vniuersit.* P. gen. c. IV. p. 92. seqq.
- h) Conf. BOEHMER. *all. loco. Legem enim bonam a mala nulla alia, nisi naturali norma, diuidere possumus.* CICERO *de legib.* L. I. add. SPE- NER, L. I. c. XII. §. 2. n. c. p. 364. P. I.

## §. XI.

### IVRIS NATVRAE VSVS SVBSIDIARIVS.

Denique et suppletorius est iuris naturae in iure I. R. G. publico usus, et subsidiarius, iis nimirum in causis, vbi expressae leges Imperii nostri desiderantur. Quia enim non omnia legibus positius definiri queunt, <sup>a)</sup> quae iis determinata non sunt, iuri naturae relicta intelliguntur. Quatuor autem potissimum ad ius naturae, tanquam subsidium iuris publici, recurrentum est casibus, quorum singuli sigillatim considerandi sunt, ut inde appareat, ex quanam illius parte huius supplementa petenda sint. Dantur primo controuer- siae haud paucae inter ipsum Imperium R. G. exterisque Gentes. Atque in his quidem ad pacta cum primis respiciendum est, quae cum aliis Gentibus Imperium R. G. init, specialia, quo- rumue inter ipsas leges Imperii fundamentales ideo mentio fieri solet, quia statum eius publicum quam maxime afficiunt, dum iura praesertim, finesque illius, exterorum intuitu, de- terminant, <sup>b)</sup> atque in quibus interpretandis, illustrandis aut confirmandis, ea quoque obtinebunt, quae §. antecedente disputauimus, et ita quidem, ut iuris in primis publici vniuersalnis et Gentium ratio habeatur. At vbi eiusmodi pacta nos deficiunt, omnia huius generis negotia ex iure naturae Gen- tiumque vnicce diiudicanda erunt et decidenda. Ad ea enim haec pertinent, quae inter liberas gentes agitantur, neque aliam agnoscunt regulam, quam ius illud vniuersale, omnes, ut homines, ita et gentes, obligans. Deinde etiam inter Impe-

## XXXIII

Imperatorem et Status Imperii haud raro oriuntur controversiae, ipsum statum Imperii publicum, atque Ordinum iura et praerogatiwas concerentia, quarum tamen decisio ex legibus fundamentalibus, siue scriptis siue non scriptis, haberet nequit.<sup>3)</sup> Quo quidem in casu obscurum esse non potest, ius naturae publicum in subsidium vocandum esse, iuncto tamen, pro ratione status Imperii nostri, iure quoque Gentium. Ulterius inter ipsos Status Imperii, quibus Imperator quoque, quaterus ut territoriorum, quae regit, dominus consideratur, adnumerandus est,<sup>4)</sup> controversias oriens, non est infrequens. Quae vbi ipsum Imperii nostri, vel etiam singulorum territoriorum statum publicum tangunt, deficientibus legibus Imperii aut pactis specialibus, iuris naturalis publici, cum Gentium iure coniungendi, decisionem expectant; priuata autem negotia quando concernunt, nec ex iure Imperii, constituto aut recepto, dirimi possunt, ius naturae priuatum defectum supplere poterit, ita tamen, ut, propter summam, quam Status nostri in terris suis exercent potestatem, Gentium quoque iuris ratio habeatur. Denique, quae Statibus Imperii cum exteris rebus publicis intercedunt, lites, si pacta specialia non adsint, non nisi ex iure Gentium dirimi poterunt, quia scilicet harum intuitu Status nostri omnino pro summis imperantibus habendi sunt.<sup>5)</sup> Quibus tamen ulterius exponendis non immorabimur; quae enim §. §. VIII. et IX. iam occupauimus, facile huc quoque applicari possunt. Iuri enim, quod vel ipsis legibus expressis constanter iungendum, his deficientibus, multo adhuc minus negandus erit usus. Neque de ciuilibus tantum negotiis haec vera sunt, verum quoad delicta quoque Statuum Imperii omnino locum habent, in quibus diiudicandis, post leges Imperii proprias, vel maxime quoque ad Ius Naturae et Gentium respiciendum est. Otium tamen nobis hac in re

E

fecit

## XXXIV

fecit Conf. CRAMERVS, omnia, quae circa delicta poenaſque Statuum Imperii disputari queunt, elegantissimo commentario complexus.<sup>1)</sup>

- a) L. 10. D. de legibus.
- b) Quo pertinet v. g. Pax Westphalica et reliquae pacificationes.<sup>1)</sup> vid. Illustr. MASCOV. pr. iur. publ. L. I. cap. VI.
- c) V. gr. quaestiones de reseruatis caefareis eorumque exercitio, de quibus conf. SPENER L. IV. c. V. P. V. p. 121. seqq. TITIVS, L. V. c. III. §. 20. seqq. p. 531. De neutralitate conf. PFEFFINGER, L. III. tit. 19. §. 139. seqq. T. IV. p. 89. seqq.
- d) Dubitat quidem PFEFFINGERVS L. I. tit. 19. §. 2. n. c. p. 836. s. P. II. num Imperator subditis Imperii adnumerandus sit. Conf. TITIVS L. V. c. IV. §. 5. seqq. p. 549. it. L. VII. c. I. §. 4. seqq. p. 680. At certum tamen est, eum intuitu prouinciarum, quas possidet, eodem cum reliquis Statibus Imperii iure vti, neque legibus Imperii, siue publicis siue priuatibus, solutum esse, adeoque etiam supremam iudiciorum Imp. iurisdictionem agnoscere debere, conf. PFEFFINGER, L. III. tit. 12. §. 20. n. a. (3) p. 895. s. P. III.
- e) Conf. §. IX. not.
- f) Vid. Conf. 10. GEO. CRAMER. diff. de delictis et poenis Statuum I. R. G. (Erf. 1728. et rec. Lips. 1738.)

## §. XII.

### DE IURE CIRCA SACRA.

Atque haec quidem, pro instituti nostri ratione, omnino sufficere possent. Neque tamen adeo inconueniens erit, meditationibus nostris, de viſu iuris naturae in iure I. R. G. publico, corollariorum loco, obseruationes adhuc quasdam adieciſſe, quae noua nobis, pro stabilienda sententia nostra, argumenta ſuppeditare queant. Summa in re publica potestas quam maxime quoque circa ius Sacrorum ſe exerit, adeo, vt plures non dubitent, duas eiusdem defendere partes, quarum ſacra altera, altera ſecularia negotia moderatur. Quod eatenus quidem admitti potest, vt ad obiectum potius, quam subiectum

Etum summi imperii respiciamus. Merito enim illorum opinionem reiicimus, qui duplarem principi affingunt personam, eumque, nunc tanquam summum Imperantem, mox quā Episcopum summum, considerandum esse, docent. <sup>a)</sup> Siquidem maiestas in quauis re publica, non nisi vna, esse potest, <sup>b)</sup> atque in ea quoque se extendit, quae ad sacra vulgo referuntur, siue is, penes quem summa est potestas, iisdem, siue diuersis, facris vtatur. <sup>c)</sup> Quae enim sacrorum nomine significari solent, cultum Dei, non nisi externum, respiciunt, cuius fundamenta quidem et principia omne humanum Imperium respuunt, <sup>d)</sup> ipse tamen cultus ille, quatenus actionibus externis absoluitur, supremae potestati subest, ita ab ea dirigendus, ne securitatem aut tranquillitatem rei publicae laedat. <sup>e)</sup> Atque hoc quidem sensu ius quoque publicum vniuersale in Ciuite s. seculare et Sacrum diuidi potest. Quoad Germaniam nostram res paullo aliter se habet, et varias hoc ius expertum est vicissitudines. <sup>f)</sup> Primis quidem temporibus omne illud ius ad supremam potestatem, Imperatores puta, quorum auctoritas Monarchicae aut aequalis, aut parum inferior, tunc erat, pertinuit. <sup>g)</sup> Postea autem cleri artificiis <sup>h)</sup> multis modis immuni coepit, donec tandem illud penitus eriperet Imperatoribus nostris. <sup>i)</sup> Quo factum fuit, vt duplex in rebus publicis nostris oriretur potestas, quarum altera secularia, altera sacra negotia regebat. Illa penes Principem, haec apud Pontificem erat, communicata tamen certa ratione cum Episcopis. Quin imo posterior haec potestas omnem forte aliquando potestatem ciuilem corripuisse, minimum in id variis artibus diu iam Clerus Romanus elaborauerat, nisi, a Deo excitatus, strenuus ille libertatis et veritatis Christianae assertor, B. LUTHERVS, iuribus Ecclesiae ab iniquis usurpationibus vindicatis, ipsis quoque Imperantibus occasionem praebuisse, de redintegranda maiestate sua cogitandi. <sup>j)</sup> Et quamvis

## XXXVI

uis non omnibus eorum contigit esse tam felicibus, vt, ex-  
cuso iugo clericali, plenum iuris circa sacra vsum, postlimi-  
nii quasi iure, sibi afferere potuerint; fracto tandem femei im-  
perio Curiae Romanae, iura Statuum Imperii legitimo suo  
vigori restituta sunt. Id quod neque illis, qui eius auctorita-  
tem adhuc reuerenter colunt, non potuit esse non profi-  
ciuum.<sup>5)</sup> Ius itaque circa sacra non minimam iuris pu-  
blici I. R. G. partem constituit. Atque, intuitu quidem  
Principum Catholicorum, pactis cum sede Romana initis, et  
Concordatis in primis Nationis Germanicae, innititur; respe-  
ctu autem Principum Protestantium, ex Transactione Passa-  
uiensi, Pace Religiosa et praesertim Westphalica, diiudican-  
dum est. Neque tamen hac quoque ex parte ius naturae,  
publicum in primis vniuersale, vnu deſtituitur, quin potius  
veri principii honorem iure tuebitur optimo. Siue enim ad  
interpretationem legum harum fundamentalium respicias,  
siue eas consideres, quatenus defendendae illae sunt contra-  
accusationes et criminationes Pontificis Romani eiusque af-  
ſeclarum,<sup>6)</sup> siue denique ad ea animum aduertas, quae, legi-  
bus his satis non determinata, aliunde supplenda et deci-  
denda veniunt, non poteris fane, quin maximum et con-  
ſtantissimum iuris publici vniuersalis, in iure nostro publico  
circa sacra, vsum agnoscas. Nec est, vt quis obiiciat aucto-  
ritatem PACIS WESTPHALICAE,<sup>7)</sup> quae omnes harum  
legum interpretationes prohibere videtur. Aliud enim  
omnino est, leges publicas impugnare, in dubium vocare,  
atque assertions contrarias inde deducere; aliud vero illas  
interpretando illustrare, confirmare atque ad facta applicare.  
Illud, non vero hoc, sanctione P. W. prohibitum esse, vel  
ex ipsis eius verbis satis appetet.<sup>8)</sup>

a) Quae communis doctrina est ICtorum antiquorum, conf. BOEHMER.  
*iur. Eccles. protest.* L. I. Tit. XXXI. §. 43. seqq. T. I. p. 743. seqq. et  
in *diss. de Iure Episcopali Principum Euangelicorum*, Hal. 1712. ANON.  
(CHR.)

## XXXVII

(CHR. THOMASII) *Untersuchung des wahren Grundes, aus welchem die höchste Gewalt eines Fürsten über die Kirche herzuleiten ist.*  
Hal. 1719. 4.

- b) Conf. B. GRIBNER. pr. iurisprud. nat. L. II. c. II. §. 3. p. 163. f.  
HENR. HENNIGES, *de summa Imp. R. potest. circa sacra. c. II. §. 2.*  
p. 25. seqq.
- c) Vid. GRIBNER, *all. loc. c. IV. §. 2. n. 2. 3.* p. 180.
- d) Vid. BOEHMER. *iur. publ. vniuers. P. Spec. L. II. c. V. §. 9.*  
p. 459.
- e) IDEM, *ibid. §. 10.* p. 460. seqq.
- f) De quibus conf. 10. SCHILTER, *de libertate eccles. German.* (I. 1683. 4.) CHR. THOMASII *historia contentiois inter Imperium et sacerdotium.* (H. 1722. 8.) 10. HENR. FELTZ, *de fatis iuris circa sacra in I. R. G.* (Arg. 1710.)
- \* Vid. SPENER. *iur. publ. L. II. c. 14 §. 2.* p. 373. seqq. P. III.
- g) Quae exponit THEOD. GIBELLINVS (sub quo nomine latere MATTH. GOEBELIVM, Consulem Budissin, obseruat WALCH, in der Einleitung in die Religions - Streitigkeiten außer der Evangelischen Kirche. P. II. p. 482.) in Caesareopapia Romana, c. praef. CHR. GODF. HOFFMANNI. rec. Budiss. 1720. 4.
- h) Conf. HENR. MEIBOM. *de iure investiturae Episcopalis Impp. Rom. per vim et tyrrannidem ademto,* in T. III. Scriptor. ser. Germ. SPENER *all loc. §. 3. 4.* p. 381. seqq.
- i) Conf. BOEHMER, or. Secul. *de moritis Aug. Conf. in rem iuridicam.* Hal. 1730. I. PETR. DE LVDEWIG, *de praecipuo Principiis Evangel.* (H. 1719.) SPENER. *all. loco. §. 7. f.* p. 408. seqq.
- k) Conf. BOEHMER. *diss. de Beneficiis Aug. Conf. c. II.*
- l) Non Pacem modo Religiosam acerrime impugnarunt, conf. C H R. GOTTFR. HOFFMANN. *Biblioth. iur. publ.* p. 166. seqq. Verum et contra Westphalicam semel iterumque protestatus est Pontifex R. conf. Ill. RECHENBERG. *Diss. de Pac. Osnabrug. obligat. vniuersali,* Seet. I. §. 9. (L. 1720.) et add. HOFFMANN, *all. loco. pag. 422. f.*
- m) Art. V. §. 50.
- n) Conf. PEFFINGER *ad VITRIAR.* in prooem. §. 18. n. 2.  
pag. 25.

## XXXVIII

### • §. XIII.

#### D E N E G O T I I S F È V D A L I B V S.

Denique et de negotiis feudalibus, et iuris naturae in iis vnu, paucis yidebimus. Pluribus Imperium R. G. feudis constare, adeo, vt non plane inconcinne regnum feudale dici posset, certius est, quam vt probatione opus habeat.<sup>a)</sup> Quamuis enim nec desint territoria, a Statibus vel subditis Imperii Allodiorum iure possessa,<sup>b)</sup> plurima tamen sub lege fidelitatis nexuque feudali illi tenent. Quorum varias quidem diuisiones plenius hic exponere, ad praesens institutum nihil conferre poterit. Vnicam vel attigisse sufficiat, qua in mediata atque immediata dispescuntur. Ex quibus tamen, non nisi posteriora, ad ius publicum pertinent, quae scilicet Status Imperii ab Imperatore atque Imperio recognoscunt. Quodsi itaque scire velimus, an et quatenus et horum intuitu iuri naturae inter principia iuris I. R. G. publici locus concedendus sit, distinguendum putamus inter negotia feudalia, quae ipsum Germanici Imperii, aut singulorum territorialium, statum publicum, libertatem item et iura Imperatoris et Statuum Imperii, concernunt; atque ea, quae formam feudorum, inuestituram, modos acquirendi et conservandi, atque id genus alia respiciunt. Illa ad ius publicum vnicce pertinent, ex LL. Imperii fundamentalibus decidenda, adeoque in iis etiam ius naturae publicum et Gentium vsum praestare poterit, non secus, ac in aliis negotiis Imperii publicis, ita nimirum, vt, non in illustrandis modo et confirmandis legibus Imperii, ad id cum primis respiciamus, verum et inde quoque repetamus decisionem, vbi ea ex LL. expressis haberi nequit. Posterioris autem, generis controversiae ad negotia potius priuata spectant, itidem non nisi legibus Imperii nostri propriis dirimenda. Neque enim ius

## XXXIX

ius feudale Longobardicum, ob insignem, quae Status Imperii atque Italiae Vasallos intercedit, differentiam, iis applicari potest, praeterquam quod vulgo in subsidium illud admittere velint, deficientibus legibus domesticis.<sup>a)</sup> Verum nec iuris naturae hic minor erit auctoritas. Vt enim ambiguum esse nequit, ipsas quoque leges Imperii feudales ex eo interpretari debere atque illustrari; ita etiam, si vel maxime leges illae deficiant, magis tamen est, vt ad ius naturae et Gentium, principium quippe illud omnis iuris commune, quam ad iura peregrina, recurramus, idque in subsidium vocemus, quum vel illi, qui iuri feudali Longobardico non omnem hoc casu vsum denegandum putant, fateri cogantur, id locum habere non posse, nisi quatenus statui Imperii R. G. et conditioni Principum et Statuum nostrorum conueniat. Qua quidem limitatione admissa, praeter ipsa iuris feudalis naturalis principia atque axiomata, vix quidquam remansurum putamus ex omni iure Longobardico, quod ad negotia Statuum feudalia applicari possit.

a) Conf. SPENER. *iur. publ.* L. II. c. IX. P. III. p. 83. seqq.

b) Vid. PFEFFINGER, *ad VITRIAR.* L. III. tit. 15. §. 10. not. a.  
(3) T. III. p. 1132. seqq.

c) Vid. SPENER. L. I. c. XII. §. 8. not. a. p. 384. P. I.

d) Conf. omnino SPENER, *all. loc.* §. 8. et 9. p. 383. seqq. P. I. et L. II.  
c. IX. p. 83. seqq. P. III. Add. GEBH. CHR. BASTINELLER.  
*de praetudicio Principum ex abusu iur. feud. Longobard.* Wittenb.  
1727.

## §. XIV.

## C O N C L V S I O.

Haec sunt, quae, pro demonstrando iuris naturae in iure I. R. G. publico visu, in medium proferre visum fuit. Quae ita omnino comparata esse, confidimus, ex quibus appareat, non subsidii tantum loco in iure publico censeri posse ius naturae, sed verum potius eiusdem principium constitutere. Quam maxime igitur iuris huius studium ei commendandum erit, cui solidior iuris publici notitia curae cor-dique est. Hoc demum duce, atque historia patria comite, in adyta legitimæ huius scientiae penetrare poterit, profili-gatis, quae eum in deuia auertere possent, praeiudiciis atque erroribus.

